



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

4. De gustu & tactu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

quando nimis humida sunt, aut organum ipsum nimia distillatione humescit, vix percipiuntur ob defectum prævalentis siccitatis.

Quando autem opponitur alia experientia, quod idem cibus sit quandoque boni odoris & saporis, sapor autem non minus requirit dominium humiditatis, quam odor siccitatis, nec possit fieri, ut in eodem cibo utraque qualitas dominetur.

Responsio melior adhiberi solita est quod idem cibus sit saporis & boni odoris, non secundum easdem partes, propter obiectionem, sed secundum diuersas. Hæc est communis doctrina.

Ego tamen puto rem esse incertam, & potius inclinor ad existimandum quod odores omnes non exigant prædominium siccitatis in omni corpore, & quod aliqua humida possint esse odorifera sicut aliqua sicca. Mouet ad hoc, tum prædicta experientia de cibo, cui non satisfit per recursum ad diuersas partes: tum quia illa diuersitas partium non apparetur quia quamuis adellet, reuera, nulla pars esse potest, quæ non sit aut possit esse humida: tum etiam quia odores extremi, hoc est maxime oppositi non videntur exigere posse prædominium eiusdem qualitatis; sed potius vnus deberet exigere prædominiū vnus v. g. humiditatis, & alter alterius oppositæ v. g. siccitatis: & quod dico de siccitate, intelligi potest etiam de calore seruata proportionem.

57. *Ad experientiam autem*, quibus communiter sententia innititur, responderi potest ad primam, defectum spirandi odoris in frigore non oriri necessario, ex eo, quod diminuat calor corporis odoriferi: cuius signum esse potest, quod si introduceretur in locum frigidum subito non spiraret odorem tantum quantum alias, sed ex eo potius quod aer frigidus non tam facile admittat exhalationes odoriferas. Posset etiam contingere, ut corpus tantum spiraret tum odoris, quantum alias, sed quod organum frigidum non esset tam dispositum ad illos percipiendos: hinc autem non sequitur vlla ratione quod odor ipse exigit prædominium caloris.

Ad secundam experientiam dico imprimis, impedimentum ortum ex humiditate organi non facere ad rem, quia inde non sequitur quin odor posset provenire ex humiditate aliquando sicut ex siccitate; sed solum sequitur quod humiditas tolleretur dispositionem requisitam ex parte organi, dispositio autem requisita ex parte organi, non debet esse dispositio requisita ad productionem obiecti, quod ab organo sentiri debet. Alterum etiam impedimentum ex parte humiditatis obiecti, quod magis facit ad rem, non concludit, quia posset provenire non ex eo, quod requireretur siccitas ad odorem, sed quod humiditas impediret egressum exhalationum.

Deinde illa experientia licet quandoque habeatur de aliquibus odoribus, non tamen de omnibus, imo opposita videtur haberi in cibo sapido & odorifero.

Ad auctoritatem Philosophi, qui ea mouetur, responderi poterit, eum loqui ut plurimum, non vniuersaliter.

QVÆSTIO IV.

De Gustu, & Tactu.

58. *L*ingua, quam instrumentum esse gustandi experientia docet, ex duabus potissimum partibus consistit, nempe ex duobus nervis derivatis à cerebro per mediam linguam, hinc atque inde in utraque parte alios minores, instar ramusculorum, nervos à se extendentibus ad utramque linguæ partem, & ex carne rara spongiosa ac porosa: unde difficultas est, in quam ex his partibus consistat sensorium gustus.

CONCLUSIO I.

Sensorium gustus sunt nervi prædicti. Hæc est communis cum Philosopho hic l. 2. text. 100. & probatur magis auctoritate, quam ratione vlla; quantum enim ad rationem attinet, tam posset sensorium illud collocari in carne, quam in nervis: imo fortassis potius in carne, quia illi nervi non magis requiri debent ad gustum, quam alij ner-

ui correspondentes requirantur ad auditum, & visum: sed nervi correspondentes istis aliis potentiis non sunt sensorium illarum, sed requiruntur ad hoc, ut per eos transmittantur species ab illis potentiis ad potentias internas, & ut à cerebro descendant spiritus animales: ergo similiter posset dici de nervis linguæ. Sed quia non est necesse ut omnes potentie habeant convenientiam in sensorio, & quia etiam est aliqua disparitas inter nervos linguæ, & nervos auditus, ac visus, quia nervi linguæ intra ipsam linguam reperiuntur, alij autem isti nervi non includuntur intra oculum, aut aurem, licet pertingant ad ipsa, propterea tenenda est Conclusio. Posset etiam fieri quod sensorium huius potentie sit non solum nervi illi, sed etiam caro, propter similitudinem quam habet hæc potentia cum tactiva, cuius sensorium non solum in nervis, sed in carne reperitur diffusum.

CONCLUSIO II.

59. *Sapor, qui est obiectum adequatum Gustui, bene describitur esse qualitas percipibilis à gustu: ex quoniam autem temperamento primarum qualitatum oriatur omnino incertum est, quantum communiter dicatur resultare ex mixtione, quæ calor, & humiditas vincunt.* Hæc est quoad primam partem communis, & quoad utramque partem patet ex dictis de odore, de quo ac de sapore, quantum ad hanc resolutionem, eadem prorsus est ratio.

CONCLUSIO III.

60. *Organum Tactus non solum diffunditur per nervos per totum corpus extensum undequaque, sed etiam per carnem.* Hæc est Suarez hic cap. 7. Aversa quæ 54. sect. 13. Arriaga, & aliorum plurimorum, contra Complutenses disp. 14. n. 72. plures alios pro se citantes.

Probatur autem experientia quæ constat sentire nos tam bene in carne, quam in nervis: ergo cum nulla ratio probet oppositum, debet dici quod in utroque fiat sensatio, & consequenter, quod utrumque sit sensorium tactus.

Probari etiam solet auctoritate Philosophi l. de historia animalium cap. 4. & 2. de partibus animalium cap. 1. ubi dicit carnem esse sensorium tactus: sed si caro sit sensorium eius, non dubium quin etiam nervi sentiant: ergo utrumque erit sensorium.

Verum, quandoquidem hic l. 2. text. 116. dicat carnem non esse sensorium, propterea existimo eum fuisse dubium de hac re, atque aliunde, quam ex eius auctoritate utramque sententiam confirmari debere.

61. *Obijcies primo, auctoritatem Scotti* q. 2. de anima, ubi nervos solos videtur proponere tanquam sensorium tactus.

Respondeo eum ita sensisse probabiliter cum Philosopho. *Obijcies secundo, organum tactus debet esse continuum cum organo sensus communis, qui est in cerebro, sed caro non est sic continua: ergo caro non est organum tactus.*

Confirmatur quia alias tactus haberet plura organa distinctæ rationis. Sed hoc est inconueniens: ergo.

Respondeo negando minorem, caro enim continuatur cum nervis, & hi cum sensu communi, & ita caro mediate continuatur cum sensu communi, quod sufficit.

Ad confirmationem respondeo distinguendo maiorem: diuersæ rationis materialiter, concedo maiorem: formaliter & in esse potentie tactivæ, nego maiorem, & similiter distincta minore negatur consequentia.

62. *Obijcies tertio ex Complutensibus* sensibile supra sensum positum impedit sensationem: sed obiectum tactus debet poni supra carnem, ut sentiat: ergo caro non est sensorium tactus.

Confirmatur quia organum tactus debet esse terreum, caro autem non est terrea, sed ærea; ergo.

Respondeo, quidquid sit de maiori, quam negavi supra, quatenus extenditur ad omnes sensus, & præsertim ad sensum gustus, ac tactus; sed quidquid inquam sit de hoc, *Respondeo* negando consequentiam, quia solum sequitur quod caro illa supra quam immediate ponitur tangibile, non percipiat illud, non vero sequitur quod alia caro vicina non percipiat ipsum. Et argumentum retorqueri potest, quia si incideretur caro, & tangeretur immediate nervus, non est dubium, quin sentiretur illud

V u u 2 quod

Sensorium
gustus sit
nervi in
lingua re-
peri.

Sapori
deteri-
pio.

Organum
tactus dif-
funditur
per carnem
& nervos;

quod tangeret ipsam, & tamen immediate supra nervum poneretur: ergo nervus non esset sensorium tactus, si valeret prædictus discursus.

Ad confirmationem respondeo sensorium tactus non debere esse magis terreum quam sit caro: unde, vel non debet esse terreum omnino & sic negari debet maior; vel caro est terrea, & sic negari debet minor.

CONCLUSIO IV.

63. *Tactus, & Gustus sunt potentia realiter, & specie distinctæ.* Hæc est communis; & probatur, quia habent actus distinctæ rationis, ut patet ad sensum, & una potest haberi absque altera: nam quamvis potentia gustativa nequeat esse absque tactiva, tamen tactiva potest esse absque gustativa, est enim in manu, ubi non est gustus.

Dico, potentiam gustativam simul cum tactiva esse diffusam per totum corpus, licet non exerceat actus, nisi in lingua, quia in lingua sola reperit dispositiones ad tactum requisitas.

Contra, quia nulla est ratio, ob quam deberet tam inutiliter diffundi per reliquas partes corporis, in quibus nunquam in ullo casu debet, aut potest habere dispositiones requisitas ad gustandum. Et eodem sane modo posset dici, quod auditus, visus, ac odoratus deberent diffundi per totum corpus, & identificari tactui, quod est absurdum.

Dico secundo: quamvis hinc sequatur quod distinguatur realiter à sensu tactus residente in reliquo corpore; tamen non sequitur quod distinguatur realiter à sensu tactus residente in lingua.

Et si respondeas sensum tactus residentem in lingua esse eiusdem rationis cum sensu tactus aliarum partium, & consequenter sensum gustus, sicut non identificatur realiter tactui in aliis partibus, ita nec identificari posse in lingua.

Contra, quia non est necesse, ut omnes partes sensus tactus sint eiusdem rationis materialiter loquendo, ut patet ex dictis conclusionibus præcedentibus, hoc autem supposito posset illa pars tactus, quæ est in lingua, esse diversæ rationis materialiter ab omnibus aliis partibus, & ratione illius diversitatis materialis oriri posset ut uterque sensus in ea parte identificarentur realiter, quamvis formaliter distinguerentur.

Confirmatur hoc: quia siue ponamus sensorium gustus esse carnem linguæ, siue nervos, siue utrosque, certum est, quod tam nervi, quam caro linguæ possint tangere tam bene quam possunt alij nervi corporis, & alia caro: ergo non sunt ibi duæ substantiæ realiter distinctæ, quarum una esset tactiva, altera gustativa; sed una & eadem substantia, quæ est gustativa, est etiam tactiva, & consequenter potentiæ illæ ea in parte debent esse realiter identificate, maxime in nostra sententia, qui identificamus potentias substantiæ, sed & in Thomistica etiam sententia distinguente potentias ab anima, quia eadem substantia eiusdem omnino rationis non debet habere potentias diversas non subordinatas.

64. *Propter hanc replicam existimo, probabile esse quod gustus, & tactus in lingua identificentur, quantum ad partem in qua sit tactus; nec credo posse solui hanc rationem bene, nisi dicatur quod gustatio, & tactus non fiant in eadem parte linguæ, sed quod per totam linguam reperiantur dispersæ partes carniæ diversæ rationis, ita immixtæ inter se, ut non possint facile discerni à se invicem, in quarum aliquibus fiat tactus, & in aliis gustatio: hoc autem supposito distinguerentur realiter sine dubio.* At hoc ipsum cum non constet experientia, nec ratione, est profusum divinare, & multiplicare entia sine necessitate: unde mihi probabilius videtur gustum & tactum identificari in sensorio linguæ, quodcumque illud sit.

Nec refert quod remaneat aliquando facultas tactiva in lingua, desinente gustativa. Nam potest dici quod hoc non sit verum de tactiva, & gustativa in actu primo, quæ semper manent, sed de gustativa, & tactiva quantum ad actum secundum. Ratio autem cur posset esse tactiva expedita ad actum secundum, absque eo, quod gustativa esset sic expedita, esse posset, quod desinerent dispositio-

nes aliquæ requisitæ ad gustandum, quando non deficerent dispositiones ad tangendum.

Quod maxime confirmatur, tum quia aliquando non possumus audire, aut videre ob aliquas indispositiones, absque iactura tamen potentiæ visivæ, aut auditivæ in actu primo: ergo similiter possemus non posse gustare ob similes indispositiones, manente integra potentia tactiva in actu primo; tum quia quando perditur potentia gustativa, non perditur ipsa substantia carniæ, aut nervorum linguæ, nec tollitur ab illis anima: ergo nihil substantiæ illius, quæ est gustativa, perditur: sed quamdiu nihil ipsius perditur, non potest deperdi potentia ipsi identificata: ergo non deperditur tum potentia tactiva in actu primo, sed solum perduntur dispositiones ad habendum gustationem requisitæ.

CONCLUSIO V.

65. *Non sunt duo tactus realiter distincti, quorum unus haberet pro obiecto unam contrarietatem nempe humiditatem, & siccitatem, alter alteram, nempe calorem, & frigus.* Hæc est communiter contra Averroem, & Agellum 2. de anima text. 108. Avicennam 6. nat. de tactu. Landunum quest. 27. Tolerum ad prædictum textum Philosophi. Quorum sententia attribuitur Scoti quest. 1. de anima. Sed prorsus immerito, quia ille non ait esse plures tactus realiter, sed tantum formaliter distinctos, ut patet ex propriis verbis ipsius. Respondeo, inquit, quod sensus tactus sunt formaliter duo.

Probatur conclusio: quia nulla est necessitas eos multiplicandi, quandoquidem non sint separabiles, nec quoad organum, nec quoad actum; sed quandoquidem nulla pars corporis sit quæ possit tangere unam contrarietatem, quæ non possit tangere alteram, nec unquam potest esse apta ad percipiendam unam, quin pariter apta sit ad percipiendam alteram.

Confirmatur efficaciter per ea quæ dicta sunt paulo ante de identificatione gustus, & tactus; nam sine dubio omnes tactus debent realiter potius identificari quam gustus, & tactus vllus, quod credo omnes concessuros.

66. *Obiicit: tactus percipit simul humidum, & calidum in eadem parte subiecti simul & semel, ut patet, si quis immittat manum suam in aquam calidam; tum enim sentiet calorem, & humiditatem aquæ: sed unus sensus non potest habere duos actus simul circa obiecta disparata præsertim non subordinatos: ergo debent necessario esse duo tactus in illa parte, quibus percipiantur istæ qualitates.*

Quod si dicas non esse tum duos actus, sed unum. Contra est primo, quod unus sensus nequeat etiam habere unum actum circa duo obiecta disparata. Secundo, quia si removeretur humiditas, maneret eadem sensatio caloris; & si removeretur calor, maneret eadem sensatio humiditatis: ergo sunt duæ sensationes.

Confirmatur, quia intellectus ipse non potest habere duos actus simul circa obiecta disparata præsertim, nisi conferendo illa ad se invicem: ergo multo minus id competere potest sensui materiali imperfectiori.

Confirmatur secundo, quia secundum Philosophum 2. de anima text. 107. unus sensus unus tantum est contrarietatis, hoc est, unus tantum sensus potest extendere se ad qualitates unius contrarietatis, verbi gratia, ad calorem, & frigus, non vero ad has, & etiam ad humiditatem, & siccitatem.

Respondetur negando minorem: sicut enim una potentia visiva realiter potest simul videre albedinem, & nigredinem, ut patet experientia, ita unus tactus realiter potest simul & semel percipere calorem, & humiditatem.

Quod si dicas visum per unum actum non videre illa, aut si vider per duos, utrumque non esse perfectissimum actum, aut utrumque non haberi in una parte oculi, sed unum in una parte, & alterum in altera.

Similiter prorsus discurre potest de tactu, dum sentit illas duas qualitates: neque ratio non experientia aliquid quantum ad hoc magis probat de tactu, quam de visu, aut è contra.

Ad primam confirmationem respondeo primo, intellectum simul

Tactus, & gustus sunt potentia realiter distinctæ.

Non sunt duo tactus realiter distincti, quorum unus haberet pro obiecto unam contrarietatem nempe humiditatem, & siccitatem, alter alteram, nempe calorem, & frigus.

Gustus, & tactus in lingua identificantur.

simul & semel posse apprehendere duo obiecta disparata, unde nego antecedens. Quod si hoc non esset verum, neganda esset consequentia, quia non est necesse ut omnis perfectio competens inferiori, competat etiam superiori seu perfectioni rei: sicut nec aurum potest producere aliud aurum sibi simile, quamvis calor imperfectior possit producere alium calorem sibi similem.

Ad secundam confirmationem respondeo Philosophum intelligendū de vno sensu formaliter, non de vno realiter.

CONCLUSIO VI.

68. Obiectum adequatum tactus est illud quod potest percipi per illum, illud autem non habet aliquod unum nomen ab-solutum, sicut habet obiectum gustus & auditus, & odoratus; nec comprehendit solas qualitates primas. Hæc conclusio quoad duas primas partes debet esse communis omnium; sed quoad tertiam videtur esse contra communem.

Probaturs prima pars, quia sine dubio potest percipere quicquid est perceptibile per ipsū, & nō potest percipere aliquid aliud: ergo illud est obiectum adequatum eius.

Probaturs secunda pars: quia non potest assignari nomen unum impositum ad significandum ipsum; nec hoc est mirum, quia neque etiam est impositum nomen ad significandum obiectum adequatum visus, quod dicatur de omnibus obiectis quæ ab ipso percipi possunt.

Probaturs tertia pars: quia sentit tactus dolorem ex compressione facta per applicationem alterius corporis duri, nec tum expetit se percipere ullam ex primis qualitatibus: imo si tale corpus priuaretur omnibus qualitatibus primis, non minus causaret illum dolorē: ergo dolor ille non causatur per perceptionē qualitatum primarum.

Confirmatur, quia sentit duritiem, & mollicitem, quæ secundum plurimos sunt qualitates secundæ: ergo non solum sentit primas qualitates.

CONCLUSIO VII.

69. Non solum qualitas tangibilis inherens ipsimet animali percipitur a potentia tactiva eius; sed etiam illa, quæ inheret obiecto externo, quando applicatur debite, non vero sentitur qualitas obiecti externi per qualitatem inherentem. Hæc est communis.

Probaturs prima pars: quia sentimus frigus & calorem nobis ipsis inherentia etiam quando accedimus ad locū calidum, in quo non est frigus, & calor extrinsecus, quæ sentiremus. Nec in hoc potest esse difficultas: sed dubitari posset, an frigus inherens percipiatur ab eadem parte, cui inheret, an vero ab alia parte continua & vicina.

Ad quam dubitationem respondent Complutenses disp. 14. n. 7. ea percipi ab alia parte, propter duas rationes, prima est quod sensibile contiguum sensui impedit sensationem: ergo multo magis sensibile inherens illam impedit. Secunda, quia qualitas sensibilis non potest sentiri a tactu, nisi alterer ipsum prius physica, & reali alteratione: sed qualitas inherens nequit sic alterare partem cui inheret: ergo non potest sentiri ab illa parte.

Verum neutra ex his rationibus subsistit: non quidem prima quia illud axioma non est verum in omnibus sensibus: non etiam secunda, quia aut falsa est maior, aut tam dubia, quam hoc ipsum quod per hanc rationem probatur, ut postea magis apparebit.

Confirmatur hoc breviter: quia duæ manus æquæ calidæ applicatæ sibi inuicem sentiunt calorem suum mutuum, & tamen neutra alteram mutat alteratione reali, & physica: ergo talis alteratio non requiritur ad tactum.

70. Nihilominus probabilius existimo non percipi qualitates primas inherentes ab eadem parte subiecti, cui inheret: cuius ratio à priori non est alia, quam quod nō habeat virtutem immutandi intentionaliter illam partem, ut colligitur à posteriori ex eo quod non sentiamus qualitates nobis inherentes, in eo gradu in quo senti-mus qualitates extrinsecas nobis applicatas.

Probaturs secunda pars conclusionis experientia quotidiana, quæ constat nos percipere obiecta aliqua nobis applicata, esse valde calida ac frigida, etiam antequam possint in nobis tantum caloris producere, quantum in nobis sentimus.

Confirmatur prædicto exemplo de duabus manibus æquæ calidis aut frigidis, quæ sentiunt se mutuo esse sic frigiditas aut calidas, & tamen non calefaciunt, nec frige-faciunt se mutuo.

Probaturs tertia pars conclusionis: quia qualitas inherens non est nec principium eliciendi sensationem respectu qualitatis externæ, nec dispositio ad recipiendam illam sensationem necessariam; nec potest assignari in quo genere causæ, aut conditionis requireretur.

Confirmatur, quia calor externus si sentiatur, habet ex se virtutem sufficientem ad hoc ut determet potentiam ad sensationem sui, siue dicatur determinare ipsam per speciem, siue sine specie impressa: ergo calor internus nō requiritur ad ipsum sentiendum.

Confirmatur secundo, quia manus calida sentit vehementissimum frigus corporis alterius antequam ipsamet possit frigeri cum proportionem sufficientem ad frigus quod sentit: ergo frigus intrinsecum non requiritur ad percipiendum frigus extrinsecum.

71. Obiicitur contra secundam partem: si quis esset applicatus immediatè Soli, sentiret vehementissimum calorem nō minus quam si esset applicatus immediatè igni, & tum videretur sibi sentire calorem externū, non minus quam quando applicatur igni: sed tamen non sentiret calorem externum, sed internum, quandoquidem Sol nō sit formaliter, sed virtualiter calidus: ergo quando applicatur igni non sentit calorem externum sed internum, & consequenter nūquam sentit calorem externum, quia si vnquam sentiret, maxime quando applicaretur igni.

Responderi posset ex Suariorum, in tali casu sensurum quidē tactum calorem externum, sed decipiendum tamen, quia reuera talis calor non existeret: proveniret autem illa sensatio à calore virtuali Solis, quia natus est producere species intentionales, quibus representari possit calor formalis, sicut lumen natus est producere species representatiuas coloris, ut patet in lride, in qua apparent oculo colores, & non sunt.

Sed hæc responsio non placet primo, quia non est vlla ratio unde colligatur quod calor virtualis Solis habeat illam virtutem; nec bene sequitur ex eo quod lumen habeat virtutem determinatiuam in aliqua dispositione ad visionem apparentium colorum, quod calor virtualis Solis habeat similem virtutem determinatiuam ad sensationem caloris apparentis. Secundo, quia obiectio facilius solui potest alio modo, ut statim patebit. Tercio, quia sensatio externā debet terminari ad aliquod obiectum realiter existens, & sic etiam visio colorum apparentium terminatur ad lumen, seu lucem: ergo illa sensatio quæ perciperetur calor in Sole, deberet habere aliquod obiectum reale, sed non haberet: ergo non daretur talis sensatio. Probaturs minor, quia non potest assignari aliquod obiectum aliud ab ipso calore virtuali: sed calor virtualis Solis non est accidens, sed ipsamet substantia Solis, quatenus productiva caloris. Substantia autem nulla est per se sensibilis sensui externo, ut faceret ipsamet Suares cum communissima sententia.

72. Itaque responderi potest melius, negando quod statim ad tactum Solis sentiretur calor, sicut sentitur ad tactum ignis: sed solum sentiretur calor tum iuxta proportionem caloris qui produceretur à Sole in ipsamet re tangente; & facile posset quis ex diuersitate immutationis, quam in se sentiret, colligere non habere se idem fundamentum ad iudicandum quod Sol esset formaliter calidus, quod habet ad id iudicandum de igne.

Hæc eadem experientia adduci solet ad probandum quod calor inherens sentiatur; sed si hoc intelligatur sic, ut velit calorem inherentem sentiri in eadem parte in qua inheret, id non sequitur; neque ex experientia quæ tum habetur, aliud colligi potest, quam quod sentiatur calor inherens: an autem sentiatur ab eadem parte, an ab alia parte distincta vicina, aliunde deduci debet.

CONCLUSIO VIII.

73. Tactus potest sentire qualitatem primam æqualitatem sensationis cum qualitate sibi inherente, non tamen sensatione, quæ possit discerni, quod sensatio causetur primæ.

Vuu 3

Tactus potest sentire qualitatem primam sensationis cum qualitate sibi inherente, non tamen sensatione, quæ possit discerni, quod sensatio causetur primæ.

Non solum qualitas interna, sed externa percipitur a tactu.

à qualitate quæ tangitur quam à qualitate rei tangentis quam autem ad experientiam, ad huiusmodi enim sensationem requiritur quod qualitas, quæ sentitur excedat in intensione qualitatem organi sentientis. Hæc quoad primam partem est minus communis, & quoad tertiam communissima.

Probatur prima pars, experientia duarum manuum æquæ calidarum, quæ sentiunt se mutuo affectas calore & duritie, aut mollietie.

Probatur secunda pars, etiam experientia, quia nunquam possumus experiri quantum ad sensum nostrum moveri nos ad sensationem à qualitate alicuius obiecti, nisi quando obiectum in illa qualitate excedit qualitatem nobis inhaerentem.

Solet probari hæc pars ratione: quia organum tactus debet esse in potentia ad qualitates quas tangere potest, sed non est in potentia ad qualitates eiusdem intensiois: ergo non potest sentire qualitates eiusdem intensiois.

Confirmatur: quia primæ qualitates non possunt intentionaliter immutare organum, nisi prius immutent illud physice & realiter: sed qualitates eiusdem intensiois non possunt sic movere: ergo.

74. *Hæc probatio opponi posset contra primam Conclusionis partem*: sed responderi facile potest distinguendo maiorem: quas potest tangere tactu, quo discerni posset ex qua parte esset qualitas tacta, transeat; alio tactu, nego: & similiter distingui potest maior confirmationis: non potest movere intentionaliter producendo sensationem, in qua perciperetur distincte in qua parte esset qualitas tacta, concedo, in qua id non perciperetur, nego.

Sed neque valet proterus ad probandam hanc ipsam secundam partem, quia manifeste petitur principium in utraque maiori tam probationis quam confirmationis, & quicumque negaret hanc partem conclusionis, æquæ illas debere negare.

Dices cum Complutensibus: Organum sensus debet pati ab obiecto sensibili: ergo oportet organum esse in potentia ad sensibile, & consequenter non debet habere in se qualitatem quam sentit.

Confirmatur: quia secundum Philosophum libro 2. de anima: Oportet sicut debens sentire album & nigrum neutrum ipsorum habere actu, potentia vero utrumque; sic autem & in aliis & in tactu neque calidum neque frigidum.

Respondet distinguendo primum consequens secundum quod debet pati ab ipso, concedo; secundum aliam rationem, nego consequentiam. Itaque sensus non debet esse in potentia ad sensibile, nisi quatenus à sensibili potest recipere sensationem; ad hoc autem impertinens est quod habeat in se qualitatem similem qualitati illi sensibili, aut quod non habeat; quamvis enim haberet illam, adhuc non haberet sensationem alterius qualitatis, & consequenter esset in potentia ad illam.

Ad confirmationem respondeo, si esset proportio inter sensum visus & tactus, quantum ad non habendum in se obiectum, quod percipere possunt, quod sequeretur tactu nullo modo posse habere qualitates tangibiles, neque quidem in gradu remisso, sicut pupilla non habet in se villo modo colores visibiles.

Itaque versus sensus istius loci est, quod sensus non debet habere in se illud ipsum obiectum quod sentit; licet habeat aliam qualitatem eiusdem speciei cum ipso; & hoc est probabilius, ut dixi inter probandum primam partem Conclusionis præcedentis: sed inde non sequitur, quod qualitas, quæ sentiri possit, debeat esse maioris intensiois.

75. *Melior ergo probatio conclusionis à priori* desumi debet ex eo, quod non possit calor ut duo obiecti extrinseci magis perfectam sensationem producere in parte organi sibi applicata, quam calor ut duo organi in alia parte, & consequenter ad hoc ut sit differentia inter sensationem provenientem ab obiecto extrinseco, & illam quæ provenit ab ipso organo, debet obiectum extrinsecum habere magis intensum calorem.

Obicitur contra primam partem conclusionis: si qualitas eiusdem intensiois cum qualitate inhaerente sensui

posset movere sensum, sequeretur quod in omnibus partibus corporis sentiremus qualitates nobis inhaerentes, qualibet enim pars aliam partem determinare deberet ad sensationem sui. Sed hoc est contra experientiam: ergo.

Respondeo negando minorem, licet enim non advertamus fortassis qualitatem nobis inhaerentem, nisi quædo est in excessu in aliqua parte, tamen inde non sequitur quin sit sensatio in nobis. Ratio vero cur non advertamus illam, est, quia illa sensatio est semper uniformis in nobis, & sensationes non afferentes voluptatem aut dolorem non solent adverti, nisi cum incipiunt de novo, aut cum habetur memoria de statu, quæ habuimus ante illarum productionem.

Dices, quando aliquis euigilat producuntur de novo sensationes omnes quotquot sunt: sed tum non advertuntur sensationes illæ provenientes à qualitatibus non excedentibus: ergo non sunt tales sensationes.

Respondeo, negando consequentiam: quia licet tum producantur de novo non debent adverti, quandoquidem non possit haberi cognitio de statu antecedenti, unde quantum ad experientiam, perinde est quod tum incipiant, ac quod inciperent, sed fuissent antecessenter.

CONCLUSIO IX.

76. *Quod obiectum sensibile mutet realiter sensum tactus, est impertinens in ordine ad movendum ipsum intentionaliter*, & hoc sine loquamus de qualitatibus primis tangibilibus, sive de secundis, ut est durities ac mollietis. Hæc est *Ruyi b. quæst. 3.* contra Complutenses disp. 14. num. 42. Sensus autem eius est quod calor, verbi gratia, ad hoc ut sentiatur à manu, non debeat caleficere manum, & si calefaciat, id omnino impertinens sit in ordine ad hoc quod sentiatur, adeo ut si per impossibile non calefieret manus à calore obiecti applicati, adhuc sentire posset illum calorem.

Probatur manifeste de duritie, & mollietie, quia hæc qualitates non sunt activæ, nec producunt qualitates sibi similes in sensu percipiente illas, ut patet experientia; ergo saltem hæc qualitates non debent necessario immutare sensum realiter producendo qualitatem aliquam, quæ non sit intentionalis, ad hoc ut immutent ipsum intentionaliter producendo in ipso sensationem, aut speciem impressam. Sed certè qualitates primæ, v.g. calor & frigus non debent esse minus activæ intentionaliter, nec magis dependentes ab alteratione physica & reali, quam qualitates illæ secundæ: ergo etiam qualitates primæ possunt movere sensum intentionaliter, quamvis non mutant ipsum realiter, & si de facto mutant etiam realiter, id tamen impertinens est ad mutationem realem.

Dices cum Complutensibus duritiem & mollietiem non esse activas quantum ad productionem qualitatum sibi similium, sed eas tamen esse productivas aliarum qualitatum inopinatarum, quas etiam producunt in sensu à quo percipiuntur.

Contra, quia nec ratione nec experientia constat eas producere vllas tales qualitates: ergo gratissime id dicitur, & consequenter contra principium de non multiplicandis entibus sine necessitate.

Dices, experientia patet durum contactum exasperare manum mollem.

Respondeo, si hoc intelligatur de exasperatione aliqua, quæ sit formaliter per qualitatem, id esse falsum, & potius contrarium constare experientia, si vero intelligatur de exasperatione quæ fieret per compressionem partium substantialium & quantitativarum, & contritionem aliquarum partium, unde sequeretur inæqualitas in partibus istius rei molli, transeat, sed non facit ad rem.

77. *Probatur secundo conclusio*, universaliter: quia ad sensationem non requiritur aliud quam applicatio, secundum quam obiectum quod sentitur, possit concurrere vel secundum se immediate, vel secundum speciem sui cum sensu ad producendum sensationem; sed potest sic applicari absque immutatione reali sensus: neque enim per illam immutationem realem magis applicatur, quàm si non fuisset facta, ut est evidens.

Confirmatur, quia non potest ostendi in quo genere causæ vel

Tangibile in ordine ad movendum intentionaliter non debet movere realiter.

vel conditionis dependeret immutatio intentionalis facta à sensibili immutatione reali ab eodem facta.

Confirmatur secundo, experientia, quæ constat duas manus æque calidas sentire se mutuo, cum tamen non possit alterare se mutuo alteratione reali calefactiva, quia alias simile ageret in simile.

Confirmatur tertio, quia manus frigida applicata subito rei valde calidæ, sentit maiorem calorem quam in ipsamet tam subito producat, ut patet experientia: ergo immutatio realis non requiritur ad intentionalem.

78. *Obicitur*, quo magis manus calefit ab igne, eo magis sentit calorem: ergo signum est quod calor tunc habeat producere intensiorem speciem, & consequenter quod habeat dependentiam in producendis suis speciebus ab alteratione calefactiva, adeo ut sicut non posset producere species intensas, nisi produceret calorem intensum, ita non posset producere species villo modo, nisi produceret calorem.

Respondetur distinguendo antecedens: calorem ipsummet ignis nego, calorem in se productum, concedo antecedens; & nego consequentiam. Itaque quo magis calefit, eo magis recipit intra se calorem, & ille calor receptus eo magis natus est producere species perfectiores in partibus aliis in quibus sentitur, si requirantur species; aut si non requirantur, eo magis natus est producere sensationem perfectiorem sui ipsius; sed inde non sequitur vlla ratione quod calor, qui sentitur, debeat producere calorem alium in parte sentiente.

79. *Obicitur secundo* ad probandum quod etiam durities & mollietates debeant mutare realiter sensum, ut percipiantur: est vna & eadem potentia tactiva, quæ percipit durum & molle, ac calidum & frigidum: ergo debet ab omnibus his qualitatibus eodem modo immutari, quo petit tactus ex sua ratione peculiari immutari ab obiecto tangibili; sed proprius & peculiaris modus quo tactus petit immutari à suo obiecto est, quod simul intentionaliter & realiter immutetur: ergo debet sic immutari à duritie & mollietate, si percipiat ipsas.

Probat minor, quia in hoc distinguitur tactus ab aliis sensibus, quod auditus, visus, odoratus, non petant immutationem materialem ex parte organi faciendam à visibili, audibili, odorabili; gustus vero licet petat talem immutationem, non tamen à re gustabili ut gustabilis est; hoc est, quatenus sapida est, sed quatenus humida. Tactus vero petat immutationem materialem à tangibili, ut rangibilis est.

80. *Confirmant hoc Complutenses* prolixo satis discursu: cuius summa est, quod sensus quo minus est perfectus, eo magis ad sensationem requirit immutationem physicam siue ex parte suâ, siue ex parte obiecti: sed tactus est imperfectissimus sensus: ergo requirit aliquam maiorem immutationem realem quam cæteri sensus; sed non requireret nisi requireret immutationem realem sui à qualitate sensibili: ergo requirit talem.

Confirmant secunda eandem doctrinam quoad qualitates secundas tangibiles, ex suppositione, quod qualitates primæ tangibiles debeant mutare realiter ut mutant intentionaliter: quia si idem non diceretur etiam de qualitatibus secundis, sensus tactus non esset vnus, sed duplex; nam tactus qui posset mutari intentionaliter absque mutatione reali à qualitatibus secundis, deberet esse distinctus à tactu, qui non posset mutari intentionaliter à qualitatibus primis absque mutatione reali.

81. *Respondetur* negando minorem cum sua probatione, in qua directe petitur principium (quod familiare est his authoribus) distinguitur enim tactus sufficienter ab aliis sensibus per hoc, quod habeat distinctum obiectum, quod ab aliis percipi nequeat, & quod sensatio ipsius sit distincte rationis à sensationibus eorum, ut patet experientia; & sane omnibus nota est manifesta differentia inter tactum & alios sensus, quamvis omnibus non sit notum, quod debeat magis immutari realiter ab obiecto suo, quam alij sensus: ergo differentia illius ab aliis potest aliunde colligi quam ex tali immutatione: & si Deus revelaret quod non possunt sic realiter immuta-

ri, adhuc colligeretur sufficienter esse distinctus ab aliis omnibus sensibus externis. Nec sane colligi potest differentia visus & auditus ex diuersa immutatione reali, quam habent obiecta ipsorum; unde si sonus esset quid permanens, quod non deberet moveri localiter, quemadmodum est color, adhuc distingueretur à visu: sicut etiam distinguerentur inter se, quatenus obiectum visus esset quid successivum & mobile localiter, tam bene quam sonus. Unde hæc differentia quoad immutationem diuersam ex parte obiecti, est omnino impertinens ad distinctionem harum potentialium.

Ad confirmationem responderi potest primo negando minorem: & sane valde difficile est probare quod tactus sit imperfectior quam gustus.

Respondetur secundo negando maiorem; nam quamvis sensus tactus magis petat realiter mutari ab obiecto suo, quam vllus alius sensus, tamen hoc omnino per accidens comperit ipsi, quatenus est sensus & potens sentire suum obiectum, ut sic enim non magis petit mutari realiter, quam sensus visus.

Ad secundam confirmationem nego sequelam cum probatione; quemadmodum enim idem tactus sufficit ad percipiendas qualitates primas cum mutatione reali ad qualitates eiusdem rationis, & ad percipiendas secundas qualitates sine tali mutatione, sed cum mutatione reali ad qualitates distinctæ rationis secundum aduersarios: ita etiam posset sufficere ad percipiendas aliquas qualitates cum mutatione reali aliqua, & alias sine vlla mutatione reali.

CONCLUSIO X.

82. *Datur dolor & delectatio in sensu externo tactus, quæ sunt qualitates particulares, quas percipit tactus sine actione vitali distincta, & quibus medianibus, non percipit aliquod aliud obiectum.*

Prima pars est communis cum Doct. in 3. dist. 15. q. 1. & D. Thoma 1.2. q. 35.

Secunda pars est contra eos qui putant dolorem esse sensationem, seu perceptionem obiecti disconuenientis, voluptatem vero esse perceptionem obiecti conuenientis, & colligitur ex Scoto supra, ubi dicit quod dolor sit coniunctio obiecti disconuenientis cum potentia non formaliter, sed causaliter, quia scilicet ex illa coniunctione, quæ consistit in apprehensione obiecti, sequitur dolor.

Tertia denique pars est conformis Scoto, quatenus dicit voluntatem mere passiuæ se habere ad passionem delectationis & tristitiæ, in 3. dist. 15. q. vii. eamque sequitur Auerſa hic expresse dicens eas esse qualitates, quæ seipsas sentiuntur absque aliquo actu, seu sensatione distincta ab illis & potentia.

Probatur prima pars, quia ad sensum ipsum apparet esse dolor & delectatio in carne externa, & præterea appetitus internus non dololet aut delectatur nisi ob aliquod obiectum propositum ipsi ut conueniens aut disconueniens: sed compressio carnis tanta vel tanta non proponitur ipsi ut conueniens aut disconueniens, nisi quatenus cognoscitur illa compressio esse conueniens aut disconueniens carni; nec cognoscitur esse conueniens, aut disconueniens carni, nisi quatenus inferat dolorem aut voluptatem carni: ergo in ipsa carne est delectatio & dolor, & non tantum in appetitu aut potentia vlla interna.

Probatur secunda pars primo, quia idem obiectum potest aliquando placere, & delectare, aliquando displicere, & inferre dolorem: sed si delectatio, & dolor consistere in perceptione obiecti, hoc esset falsum; quod enim est dolor formaliter, semper debet esse dolor, & quod est delectatio formaliter, semper debet esse delectatio: sed perceptio eiusdem obiecti ab eadem potentia, est semper eadem perceptio: ergo non potest esse nunc dolor, nunc delectatio, & consequenter si dolor, & delectatio essent perceptio obiecti, idem obiectum non posset nunc inferre dolorem, nunc voluptatem, seu delectationem.

Probatur secundo, quia dolemus, quando non percipimus aliquid præter ipsum dolorem, ut patet in morbis articularibus, & renalibus, & quando scinditur caro

Datur dolor & delectatio in sensu externo.

peracta scissione remanet dolor, nec apparet illud tum percipi.

83. *Probaturs tertia pars*, quod scilicet non sentiantur actu aliquo vitali distincto; quia possunt se ipsis percipi, nec est ulla necessitas multiplicandi duas qualitates ad hoc, quod aliquis doleat. Et præterea actus ille alius, quo sentiremus qualitatem doloris, potius esset dolor, quam obiectum eius, quia illo mediante doleremus formaliter.

Confirmatur, quia per visionem percipimus obiectum, & ipsam visionem, non quod ipsa visio sit reflexa supra se, aut quod habeat se tanquam obiectum, quod videtur; sed quod se ipsa percipiat: ergo illa qualitas doloris potest habere similem rationem.

Obijci: sensus non potest aliquid vitaliter percipere, nisi mediante sensatione, nam ipsamet perceptio est sensatio: ergo illa qualitas vel deberet sentiri per sensationem, & perceptionem distinctam, & sic haberetur intentum, vel deberet esse sensatio; sed non potest esse sensatio: quia omnis sensatio est alicuius obiecti, per dolorem autem, aut delectationem nullum sentimus obiectum: ergo non sunt sensationes.

Respondeo, distinguendo antecedens: mediante sensatione, qua aliquid aliud obiectum percipitur, nego; qua percipitur aliquid aliud obiectum, vel ipsamet sola percipitur, concedo antecedens, & distingo consequens, quoad ultimam partem: deberet esse sensatio, qua aliquid aliud sentiretur, nego: qua ipsamet sentiretur, concedo consequentiam, & nego subsumptum cum sua probatione.

Quartus, ex qua causa proveniat dolor.

Respondeo, quod non solum proveniat ex divisione continui, ut volunt aliqui, qua dolemus ob vehementem calorem, & frigus, cum nulla pars nostri discontinuatur: nec etiam ex excessu aliquorum supra mensuram debitam, ut putant alij; quia quando dolemus ob incisionem, aut compressionem carnis, non est verisimile tantam alterationem fieri in qualitatibus nostris tam subito, ut fiat talis excessus in illis ultra debitam mensuram; & quamvis fieret talis alteratio, tamen non est verisimile illam esse causam istius doloris; quia posset esse tantus, & maior excessus in qualitatibus illis, quin esset tantus dolor.

Itaque potius dicendum est, quod non proveniat semper ab eadem causa, sed aliquando ex divisione continui, ut cum scinditur caro; aliquando ex intemperie qualitatum, ut fit in febribus; aliquando ex compressione, aliquando ex aliis causis. Credo tamen quod ipsa divisio continui non sit causa effectiva eius, sed potius conditio sine qua non, & idem credo de compressione: unde qualitates primæ in aliqua dispositione particulari sunt causæ effectivæ ipsius, quæ dispositio particularis non est semper eadem, sed diversissima.



DISPUT. IV.

De Potentiis internis Sensitivis.

In hac disputatione claudetur tractatus de Anima, qua sensitiva est. Potentiæ autem, de quibus hic agendum est, sunt, *Sensus communis*, *Phantasia*, seu *Imaginativa*, *Æstimatoria*, *Memorativa*, & *Appetitiva*.

QVÆSTIO I.

An, & quomplex sit sensus internus cognoscitivus.

Varij
actus in-
terni
quos ha-
bent ani-
malia.

1. **E**xperientia constare videtur, homines & animalia habere varios actus internos cognoscitivos, qui non producantur à sensibus externis, & consequenter necessario debent provenire à potentia aliqua cognoscitiva interna distincta ab externis; nam *imprimis* habent actus, quibus discernunt inter obiecta sensuum externo-

rum, & cognoscunt colores percipi à visu, & sapores à lingua; & potentia quæ potest elicere huiusmodi actus, vocatur *sensus communis*; quia scilicet est communis omnibus obiectis sensuum particularium, quatenus omnia illa percipit.

Secundo, percipimus nos, & bruta res absentes dum sunt absentes, ac etiam destructæ; & si percipiamus illa propterea aliquando illa percipimus per sensus externos, potentia qua id facimus, vocatur *Phantasia*: si vero non percipiamus ea sic, sed alio modo, quo nunquam externè nobis proponebantur, ut cum apprehendimus montes aureos ac similia, potentia quæ ea sic proponit, vocatur *Imaginatio*.

Tertio, apparet esse in nobis, & brutis actum, quo percipimus obiecta sub ratione insensata, ut quando apprehenditur sub ratione convenientiæ, aut disconvenientiæ, quæ non oritur ex dispendentia aliqua, aut voluptate causata in sensu externo, sicut, verbi gratia, ovis apprehendit lupum, & propterea ab ipso fugit; potentia autem, quæ elicit hunc actum, quatenus illum elicit, seu potest elicere, vocatur *Æstimatoria*.

Quarto, denique experientia patet bruta repetere loca in quibus ante fuerunt, & cognoscere homines ante vi-
fos; & potentia qua id faciunt, vocatur *Memoria*.

2. De his omnibus actibus non est dubium, quin dentur in hominibus & brutis, si excipias duos ultimos; nam qui negant species insensatas, negabunt consequenter actus illos, qui dicuntur provenire ab æstimatoria, & consequenter negabunt dari æstimatoriam. Quid autem in re dicendum sit, patet ex dictis supra de istis speciebus.

Præterea, sunt qui negant brutis actus memoriæ, & *Dottor in 4. d. 45. 3.* utramque partem tenet problematice. Tamen quamvis difficile sit quod bruta cognoscant præterita, ut præterita, aut quod possent cognoscere se habuisse aliquando cognitionem talem ut talem, quod necessarium videtur ad memoriæ proprie dictam; & licet etiam possent omnes actus quos habent, ex quibus colligitur ea habere memoriæ, saluari probabiliter non ponendo memoriæ in ipsis, ut saluat *Dottor supra*. Tamen, ut ipsemet *ibid.* asserit *n. 12.* facilius saluantur ponendo in eis memoriæ.

Hoc ergo supposito, quantum ad existentiam, & numerum potentialium cognitivorum internorum, duæ restant difficultates examinandæ.

Vna, an ex suppositione quod dentur omnes isti actus; dentur etiam plures potentiæ internæ correspondentes illis realiter distinctæ: an vero una & eadem potentia realiter sufficiat pro omnibus, quæ potentia sortiatur diversa nomina, quatenus habet virtutem productionis istorum diversorum actuum. *Secunda* est de organo sensus interni.

CONCLUSIO I.

3. *Quamvis darentur omnes prædicti actus in hominibus & animalibus, non deberet tamen poni in illis, nisi unica potentia interna sensitiva, realiter loquendo.* Hæc est *Alensis* *2. p. quæst. 70. Tartareti 2. de anima, Cavelli quæst. 2. de anima, num. 16.* qui eam magis conformem asserit principiis *Scoti, Suarez, Runij, Hartadi, Arriaga*, contra *D. Thomam 1. part. quæst. 78. art. 4. Combricensis, & Complutensis* hic.

Probaturs, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate: nulla autem est necessitas multiplicandi has potentias: una enim & eadem realis potest omnes illos actus elicere, & habere diversa nomina, secundum quod respicit illos actus.

Confirmatur, quia non magis disconveniunt inter se illi actus quam intellectio & volitio: sed intellectio & volitio proveniunt ab eadem reali potentia, quæ vocatur intellectus, quatenus potest producere intellectionem: & voluntas quatenus potest producere volitionem.

Confirmatur secundo, quia Angelus per unam potentiam cognoscitivam intelligit obiecta sensuum externorum, eaque inter se distinguit non solum cum sunt præsentia, sed etiam absentia; & præterea potest apprehendere illa propterea proponuntur externa, & alio etiam modo,

que